

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit  
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7





DISPUTATIO XVI.  
 DE FIDE IUSTIFICANTE VERE ET  
*proprie sic dicta.*  
 EX DN. DOCTO-  
 RIS MARTINI CHEM-  
 NITII EXAMINE DE-  
 sumpta.

Cuius positiones  
*Divina adiuuante gratia*


Sub praesidio

**SALOMONIS GESNERI**

S. THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFES-  
 soris Publici in Academia VVitebergensi, in Collegio dispu-  
 tationum Theologicarum privato defenden-  
 das proponit, ad diem 14. Iulij

Anno 1602.

GEORGIUS XYLANDER BUR-  
 ckunstadensis Francus.



VVITEBERGAE  
 Ex Officina VVolffgangi Meisneri.





NOBILISSIMIS, GENE-  
RE CONSPICVIS, VIRTUTE  
ET PRVDENTIA PRÆSTANTISSIMIS VIRIS

Dn. ADAMO & Dn. IOHANNI THEODORICO  
Marschalek ab Ebnet in & supra castrum prope  
Burekünstad patruclibus.

*Domnis Meccenatibus & fautoribus suis singulari  
observantiâ colendis.*

VT EE

PRÆSTANTISSIMO, ERVDI-  
TIONE ET HVMANITATE ORNATISSIMO

VIRO Dn. GEORGIO HELIES Arcis Schaumbergiacæ  
supra castrum prope Burekünstad præfecto fide-  
lissimo, amico & familiari suo sem-  
per observando

*Disputationem hanc Theologicam, pietatis à moris & ho-  
noris ergò dicat & inscribit*

GEORGIUS XYLANDER  
Burekünstadensis.



THESIS I.



E obiecto fidei iustificantis in priori est actum: in hac verò disputatione disquirendum venit; utrum fides iustificans sit vel fiducia vel dubitatio de remissione peccatorum: prius affirmamus: posterius negamus.

Caput. 1.  
Quod fides non sit dubitatio, & quam inutilis & horrenda doctrina pontificiorum sit de dubitatione.

II.

Et certè mirandum est, cur Pontificij tam acriter pro impio hoc dogmate dubitationis defendendo & retinendo pugnent, cum Deo nihil magis displiceat, eiusve promissionibus vehementius repugnet & contrarium sit, quàm dubitatio & disidentia, Iac. 1. v. 6. 7. 8. Rom. 4. 20.

III.

Sed quo fine & intentione hæc dubitatio sit à pontificijs excogitata & adhuc usque defensa, id vel lippis & tonsoribus, quod aiunt, notum est: nimirum, ut eò facilius iugum illud pontificiæ nundinationis rudi plebeculæ imponant.

IV.

Inde factum; ut quando homines docerentur, de fide, etiam in promissionibus Christum firmiter apprehendente esse dubitandum, multa & varia opera sine modo ab eiusmodi perturbatis conscientijs sint excogitata, & tanquam cultus Dei devotè observata, quibus tamen Deus frustra colitur, Esa. 29. 13. Matth. 15. 9.

V.

Hinc vota monastica opera superrogationis, peregrinationes, invocationes sanctorum, nundinatio miserarum, negociatio indulgentiarum, & tota colluvies & lerna superstitionum pontificiarum.

A 2

6. Cum



*VI.*

Cum verò nec his & similibus homines miseri, in agone constituti, acquiescere possent, scil. vanitatem operum suorum electiorum considerantes, & ne penitus, priusquam hinc migrarent, ex consideratione æternæ damnationis desperarent, excogitatum est purgatorium, & pro demortuis (sed non sine pecunia) suffragia, leviores scilicet pœnas & cruciatus moribundis promittentia.

*VII.*

Sed hæc omnia figmenta, in æternum animarum exitium excogitata, in fenum abirent, si homines rectè ex verbo Dei docerentur, per fidem veram in Christum, quemlibet de sua salute & reconciliatione cum Deo certum esse posse.

*VIII.*

Econtra Tridentini patres docent remissionem quidem peccatorum suorum quemlibet accipere divinâ misericordiâ propter Christum: sed addunt, illam nemini communicari, conferri aut applicari, nisi qui operibus pœnitentiæ & charitatis ita se disposuerit, ut non prorsus indignus sit, in quem Deus beneficium iustificationis conferat, sess. 6. c. 13. can. 9.

*IX.*

Sed væ miseris & anxiis conscientijs, in tali dispositione constitutis; Vnde nam sentient, se verè & plenè omnia illa pœnitentiæ & charitatis opera, quæ ad integram & sufficientem præparationem requiruntur, præstitisse: an non semper ipsis dubitandum, imò prorsus desperandum erit?

*X.*

Deinde dicunt: etiamsi verè quis iustificatus fuerit, non tamen debere quenquam absque ulla omninò dubitatione



289

bitatione apud semetipsum statuere, se esse iustificatum, Sess. 6. cap. 9. Idq; Andradius, illius Concilij interpretres, sic declarat: hominem debere in genere credere, quod remittantur peccata credentibus, sed quod sibi in specie remittantur, non debere nec posse aliquem credere; quod idem est ac dubitare. And. lib. 6. pag. 543.

XI.

Quid verò, Deum immortalem, hæc fides desperanda aliud est, quam miserrima animarum carnificina? quamq; probè considerandâ toti orbi proponimus, ut hæc doctrina ab omnibus conspiciatur, quæ est de iustificatione, nostram salutem concernens, qualis olim fuerit, & adhuc sit, in papatu, quæ afflictas conscientias semper dubitare, & nunquam de sua salute certas esse debere iubebat: contra expressam Pauli Apostoli sententiam, dicentis: Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, Gal. 2. 20.

XII.

Spiritum vero, quo isti homines aguntur, quis non agnoscat? hi enim vitam æternam, quæ donum Dei est per fidem, Eph. 2. 8. operibus potius ex dubitatione profectis, auditoribus suis promerendam venditant.

XIII.

Satis de dubitabundâ pontificiorum doctrinâ: nunc *Caput. 2.* de verâ fiducia gratuita remissionis peccatorum pro- *quod fides* pter Christum nobis erit agendû, proq; ea strenuè pu- *sit firma fi* gnandum; quia hæc doctrina Evangelij & Ecclesiæ est *ducia in-* propria. *xta scri-* *pturam.*

XIV.

Et ut prius ociosas quæstiones removeamus, verumq; controversiæ huius statû, propter adversariorû inconstantiam ponamus, necesse est. Hic igitur non

A 3

agemus

agemus de erronea hæreticorum fide, non de Epicureâ persuasione; sed de verâ in Christum fiduciâ, quæ ostendit, quomodo anxie conscientie de remissione peccatorum possint firmam consolationem accipere, inq; eam tutò acquiescere.

## XV.

Testatur enim hoc scriptura, quando cumq; Deus in promissionibus suis nobis annunciat remissionem peccatorum & vitam æternam, semper nostra merita excludit, & tantùm filij sui nostri redemptoris obedientiam respicit, ut Rom. 4. 5. qui credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides ad Iustitiam. Ephes. 2. 8. Donum quippe Dei est vita æterna. Et rursus Rom. 4. 16. Idecirco ex fide datur hæreditas ut firma sit promissio secundum gratiam. Heb. 6. 18. 1. Ioh. 5. 10. ex his patet, quod non dubitatio, sed fides iustificet: nec qui dubitat, sed qui credit, habeat vitam æternam.

## XVI.

Pugnat præterea hoc commentum cum ipsâ naturâ fidei iustificantis: quia ab Apostolo definitur, quod sit *παρρησία & πεποίθησις*, Ephes. 2. 7. 12. hoc est, firma fiducia, quâ homo credens sibi Evangelij promissionem in Christi sanguine applicat. *πληροφορία*. Hebr. 10. 21. Accedamus cum vero corde in certitudine fidei. *ὑπόστασις & ἔλεγχος*, Hebr. 11. v. 1. Sicut & D. Petrus credentes hortatur, ut perfectè sperent in eam, quæ ad ipsos defertur, gratiam, 1. Pet. 1. 13. Et Apostolus Paulus 2. Tim. 1. 12. dicit, certus sum.

## XVII.

Et quorsum fieret applicatio promissionis gratiæ ad singulos in usu Sacramentorum, si dubitationi ullus esset locus? Paulus enim Apostolus Rom. 4. 11. Circum-

cisio-



291  
citionem vocat signaculum fidei. Et 1. Pet. 3. 21. Vocatur Baptismus stipulatio bonæ conscientia: Sic in absolute, cuilibet petenti remissio peccatorum annuntiatur, sicut Christus Matth. 9. 2. dicit; Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Nec nihil nos moveat Bellarminus, qui dicit, paucis tantum quibusdam hoc contigisse. lib. 1. c. 10. de Iustif.

XVIII.

Quorsum item obsignatio eius promissionis facta per Spiritum sanctum singulis credentibus, dantem testimoniū Spiritui nostro, quod simus in gratia, Rom. 8. 16. Et Ephes. 4. 20. ne contristetis Spiritum, quo obsignati estis in diem redemptionis, Ephes. 1. 13. Ideoque non opus est peculiari revelatione, ut vult Andradius & alij, sed quia sumus obsignati Spiritu sancto tanquam signo arrhabonis, ideo sumus de salute nostra certi.

XIX.

Hoc insuper nostrum institutum sanctorum probant exempla, videlicet Abrahami, qui contra spem in spem credidit, Rom. 4. 18. & v. 20. Non infirmatus est fide, in promissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide. Sic & Paulus 2. Tim. 1. 12. Rom. 8. 38. Certus sum, &c. David Psal. 23. 4. Iob 19. 27.

XX.

Certissimum quoque & hoc est, quod dubitatio in S. scriptura non ut virtus, sed ut inutilis infirmitas aliquoties reprehendatur, fideiq; naturæ opponatur, ut Matth. 6. 30. & cap. 14. 31. Marci 16. 14. exprobrat discipulis incredulitatem, Et pater Lunatici petit corrigi suam ἀπισίαν, Mar. 9. 24.

XXI.

Denique huic exitioso dogmati de dubitatione,  
A 4                      irrefra-

292.  
irrefragabilia patrum repugnant testimonia, quæ perspicuè ostendunt, iam olim eadem ratione contra veram in Christum fiduciam ab hæreticis de nimia arrogantia, Pharisaicâ præsumptione disputatum fuisse: sic enim scribit Augustinus serm. 28. de verbis Domini: omnia tibi peccata tua dimissa sunt. Ideo præsume non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim salvati estis, inquit Apostolus. Non ergo arrogantia est, sed fides, prædicare quod acceperis, non est superbia, sed devotio.

XXII.

*Caput 3.  
Argumen-  
torum Pon-  
tificiorum  
refutatio.* Ne autem ullus scrupulus relinquatur, obiectiones quasdam adversariorum diluemus. Et primò quidem falsam hæreticorum fidem obtendunt; sed quia antea monuimus, nos talem fidem vanamq; Epicureorum persuasionem nõ defendere, sed potius damnare: neq; hic de mortuâ, falsâ, aut Diabolicâ fide, quæstio est, sed agimus de verâ in Christum fide, quam falsa non tollit aut evertit.

XXIII.

Notandum deinde venit & hoc, quod dubitationem tanquam humilitatis virtutem Deoque gratam laudent: *ωλιγοφροσία* verò fidei infirmitati nostræ opponentes velut intolerabilem audaciam damnant: his sic respondemus, veram fidem semper quidem cum humilitate esse coniunctam, suamq; infirmitatem considerare atq; fateri, nec unquã sese ex dignitate propria metiri, Dei que iudicio sistere: hæc autem humilitas non facit fidem dubiam aut fluctuantem: quod pulcherrimo exemplo Mariæ Virginis Luc. 1. & centurionis Matth. 8. patet, in quibus solida fiducia citra omnem dubitationem triumphat, & nihilominus humilitas Deo soli gloriam adscribit.

24. Præter-

XXIV.

Præterea ut opinionem suam obtineant, mysterium prædestinationis quoq; obtendunt, verenturq; ut dum in fiduciam promissionis gratuita nimis confidamus, in articulum arcani mysterij prædestinationis impingamus. Sed sciant & nos ab illo præcipitio errorum sedulo homines dehortari, ne occulta Dei decreta scrutentur, an sint in numero electorum vel prædestinati; & quia hoc mysterium est abyssus sapientiæ diuinæ, in quam multi se præcipitant, ideo dum speculationibus dubijs vanisq; suis cogitationibus indulgent. Rom. 11. 33.

XXV.

De electione verò quid sentiamus, Deus nobis voluntatem suam in verbo suo patefecit, quod quidem nõ est lex, quæ opera perfecta & sufficientia postulat: sed Euangelium, quod proponit electionis doctrinam, eiusq; decreta ab æterno facta, & postea in verbo suo revelata, eaq; non contraria, sed subordinata, ut Deus vult omnes homines saluos fieri. 1. Tim. 2. 4. Sic tamen, ut omnes qui credunt in eum non pereant, sed habeant vitam æternam. Ioh. 3. 15. Quicumque igitur baptisatus est & credit, inq; fide perseverat, hic verè in numero est electorum, Eph. 1. Marc. 16.

XXVI.

Nec quicquam promovet Papisticam dubitationem illud *ἡσθησὶν* de finali perseverantia; de qua neminem ante vitæ suæ finem certum esse posse, blasphemè pronunciant. Hoc quidem & ipsi fatemur, multos non perseverare, sed gratiâ Dei excidere, ut Exempla & S. scriptura testantur: verum hoc non fit ideo, quasi Deus nolit credentes, semel in gratiam receptos ad finem usq; conservare: sed ideo fit, quia multi securitate sua & carnis operibus Spiritum sanctum excutiunt, & sic per-

A 5 eunt,



eunt, qua de re Apostolus Rom. 11. 22. dicit, si in bonitate Dei permanserint, Heb. 3. 14. modo fiduciam retineant usq; ad finem. Cum itaq; Deus id, quod inchoavit in nobis, etiam perficere velit Phil. 1. neq; patiatur oves suas è manibus suis sibi eripi Ioh. 10. Idcirco in hanc promissionum divinarum immotam rupem fidei anchora defigentes Ebr. 9. dubitandi fluctuandiq; causam prorsus habemus nullam.

## XXVII.

Huc referunt etiam quædam dicta scripturæ, videlicet, quando Apostolus iubet, cum timore & tremore operari salutem Phil. 2. 12. Sollicitè cavere stantes ne labantur. 1. Cor. 10. 12. Sed manifestum est, eiusmodi dicta potius admonitiones esse Spiritus sancti ad excutiendam securitatem mentibus renatorum: non ad incutiendam illis dubitationem.

## XXVIII.

Dictum quoq; Pauli: Nihil sum mihi conscius, sed in hoc non sum iustificatus. 1. Cor. 4. 4. quod Andradius opponit, nihil illorum dubitationi patrocinator. Nam etiam Apostolus, quantum quidem ad externam obedientiam, nullum legis præceptum fuisset transgressus: tamen quia Dominus illum sit iudicaturus, qui etiam interna & cogitationes scrutatur, ideo dicit se non esse iustificatum.

## XXIX.

Frustrà deniq; sententiam Salomonis, Eccles. 9 v. 1. Nescit homo vtrum amore vel odio dignus sit, detorqueat Andradius ad fulciendam dubitationem: Salomon enim hîc non agit de vera in Christum fide, sed dehortatur potius homines, ne ex eventu pios vel impios iudicent: eò quod impij interdum sint feliciores, pij vero infelices; sicut & David Psal. 73. 15. Conqueritur.

30. Postre-

XXX.

Postremò notandū est, nos non eiusmodi absolutam  
 firmitatē & plenitudinem fidei ulli mortaliū assignare,  
 quæ omni prorsus dubitatione careat, in hac carnis no-  
 stræ imbecillitate, vera tamē est fides, etiamsi sit languī-  
 da, modò verum aspiciat obiectum. Et verò quis hanc  
 de certitudine fidei doctrinam miretur, duas habeat  
 causas: 1. Dubitationes non esse de natura fidei, sed car-  
 nis infirmitatis, ut Rom. 7. 18. in carne mea non habitat  
 bonum. 2. Infirmitati fidei semper esse resistendum,  
 nec dubitationibus indulgendum, quò veram  
 in Christum fidem retineamus, &  
 ad finem vsque con-  
 servemus.

SOLI DEO GLORIA.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

SOLE REG. GEORGIA



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro

VD17









285.



IO XVI.

CANTE VERE ET  
*dicta.*

DOCTO

NI CHEM-

MINE DE-

ota.

sitiones

*gratia*

esidio

GESNERI

TORIS ET PROFES-

tebergensi, in Collegio dispu-

n privato defenden-

drem 14. Julij

602.

LANDER BVR-

is Francus.

(70)

ERCAE

gangi Meisneri.

